

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA, 1. AD Thessalon. 4.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

primere, ac imitari, vel votis ac precibus, vel factis & gestibus stultis, scilicet, ac temerariis, non tantum saepe contra conscientiam, sed contra etiam voluntatem Dei, atque eius verbum.

DOMINICA SECVNDA

QVADRAGESIMA,

EPISTOLA, I. AD

Thessalon. 4.

De cetero ergo fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu, &c. Finis Epistolae: & nullius aliquid desideretis.



¶ **A**POSTOLUS in hac Epistola tria.

1. Primo, Hortatur fideles, vt memores vocationis suae sanctae in qua vocati sunt à Deo secundum propositum gratiae suae dignè ambulent, vt Deo placeant. Quae quum pro ratione officij sui imperare posset, rogare maluit, Philip. 1. ne cum austeritate imperare velle videretur, Ezech. 34. sed vt mäsuetudinis formä superioribus daret, Gal. 6. Hortatur autem non ad solam fidem, sed vt opera Christiano homine digna perficiant, vt scilicet, Apostoli praecepta, & statuta superare contendat vitae puritate, non contenti tantum parere praeceptis, verum etiam vltra quàm praeceperit agant. Sic enim fidei suae energiam declarabunt, si quemadmodum terra solet sua semina cum fœnore reddere, ita contendat morum puritate, innocentia & sanctimonia succincti (vt loquitur Petrus, 1. cap. 1. lumbos mentis, & sobrij perfectè sperare in eam, quae offertur, gratiam, & per bona opera certam suam vocationem efficere. Tunc enim verè Deo placebunt, dum non amplius configurati prioribus ignorantiae desiderijs exuunt veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, & induunt nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Hoc est, vt habet Paulus, Romanorum 13. dum de somno surgunt peccati, dum abiiciunt opera tenebrarum, dum induunt arma lucis, vt in die honestè ambulent, non in cubilibus, impudicijs, comestationibus, ebrie-

Fideles suae vocationis esse memores debent.

Fideles opera Christiano homine digna perficere debent.

eatibus, contentione æmulationeque: sed induunt Dominum nostrum Iesum Christum, nec curam carnis faciunt in desideriis. Huc enim spectabat Paulus. dum ait:

Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum. Ergo quū P. velit fideles plura agere quàm præceperit, nemo, nisi impius damnare opera supererogationis potest, qualia sunt à Christo, Matt. 19. vel de paupertate, vel de cōtinētia cōsulta. Nam ad ea quæ sunt præcepti ex iure religionis obligamur, siquidē nō hominū, sed Dei sunt mādāta, quanquā per homines, Dei tamē ministros lata.

2. Secundō, Non contentus communibus præceptis religionis eos obstrinxisse, moralia quædam secundæ tabulæ tanquam ex Dei voluntate repetit: quasi dicat, voluntas Dei bona, beneplacens, & perfectā est sanctificatio vestra. Intelligit autem per sanctificationem temperantiam, quæ est ab actibus veneris, quo malo vix vltimum est aut grauius, aut fœdius, dum quis membra Christi tollens facit membrum meretricis: qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, 1. Corinth. 6. Corpus enim nostrum non fornicationi, sed Domino est consecrandum, Hebr. 12. 13. Aded' enim Deo est inuisum hoc malum, vt & præsentibus, & æternis suppliciis puniat, Num. 5. Heb. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Nec regnum Dei possidebunt: ided' & excommunicatione punit Apost. 1. ad Corint. 5. Imò ne nominari quidem vult inter fideles, Ephes. 5. Vide prou. 5. 7. Neque verò sacræ literæ tantūm, sed barbaræ quoque nationes, in adulteria, scortationes, & fornicationes grauiusimè peranimaduenterunt. Nam adulteros Græci verberabant, tondebant, naribus priuabant, & occidebant. Arabes capite puniebant. Aegiptij virgis cedebant. Tartari publica lege statim occidebant. Vt facillè intelligas ipsam quantumlibet corruptam naturam ab his tamen vitiis abhorruisse, quæ pròh dolor, ludum nunc arbitratur potior Christianorum pars. Neque verò ad perfectionem vitæ Christianæ satis arbitratur Apostolus ab his abstinuisse criminibus. Sed vult quenque fidelem & cōiugatum, vxorem, quam valis nomine intelligit, possidere in sanctificatione, & honore, hoc est, vt habet August. lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 8. vt non solum alienam

Fideles plura agere debent, quàm præceperit Dominus.

Corpus nostrū Domino non fornicationi cōsecrandū.

Animaduersione Græcorum in adulteros.

nō appetat, sed ne propriam quidem in concupiscentiæ carnalis morbo possideat. Sed vt maritalē cōgressū, cu i morbida libido est annexa, adhibeat tanquā necessariū soboli in gloriā Dei procreandæ, non voluptatis causa, hac intentione qui suā coniugē possidet, habet non in passione desiderij, sicut gētes. Illo quippe cōcupiscentiæ malo vitur, nō vincitur, quādo illā inordinatis motibus æstuantē frenat & cohibet. Nec nisi propagationi consulens adhibet, sicut sancti patres Abrahā, Isaac, Iacob, & Dauid, qui, vt habet idem August. lib. 3. de doct. Chri. cap. 12. sufficiendæ prolis causa plurimum vxorum habebant, inculpabilem consuetudinem.

3. Tertiō, Quia magnos in omni Republica motus excitare solet auaritia. Ideo grauissimē eā prohibet, dicens, *Ne quis su pergrediatur, aut circumueniat fratrem in negotijs, cōtractuū, scilicet, mercatus, aut assecurationū, aliisque cōgressibus Reipub. necessariis, dum fraude, imposturis dolo malo, ex aliorū incommodis & damno, sua querit commoda.* Quando videlicet mendax in stateris, P sal. 61. Proverb. 11. 16. 20. pondus & pondus est in domibus ipsorum, Deut. 25. Ose. 12. Ezech. 45. & fasciculis iniquarum cautionum miseros opprimit, Isa. 5. 58. 10. Huiusmodi perstringit Isa. cap. 10. dum ait: Vx qui conditis leges iniquas, & scribentes scribitis iniustitiam idque, vt opprimatis in iudicio pauperem, vt vim faciatis causæ humilium, vt sint viduæ præda vestra, & vt pupillos diriperetis. His grauissimē comminatur Propheta. Et Paul. dum ait: *Quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Quum enim ex auaritia malorum omnium radice hæc proficiantur, quam idolorum seruitutem vocat, Ephes. 5. fieri nequit vt regnum Dei possideat quisquis ex iniquo dilescere studet. Siquidem avari, rapaces, & fures, regnum Dei non possidebunt, 1. ad Corinth. 6. Nunquam enim, vt habet Augustinus in Epistola ad Macedo. Remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, non solum furto, & rapina: verum etiam fraude, dolo, imposturis, & periuriis. Hæc enim tam sunt restitutioni obnoxia, quam illa. Atque huc respexisse videtur Apostolus, dum tanta seueritate Dei iudicium proponit iis, qui malis actibus quæstum facere student. Quum tamen huiusmodi

Magnos in Republica motus excitare solet auaritia.

Auaritia radix omnium malorum.

DOMINICA SECUNDA
impostores, & usurarii, non sint habituri partem in regno Christi, & Dei.

DOMINICA SECUNDA QVA-

DRAGESIMAE, EVANGELIUM,

Matthæi 15.

*In illo tempore, Egressus inde Iesus, secessit in par-
tes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa de
finibus illis egressa, &c. Finis Euangelij: Et
sanata est filia eius ex illa hora.*



MIRANDVM fidei, pietatis, & charitatis
exemplum complectitur hoc Euangelium,
cuius primaria argumenta sunt tria.

1. Primò, Mulieris Syrophenisæ orationem
complectitur, quæ singularem ipsius fidem, pietatem,
& inuocationem insinuat. Siquidem quòd Christum in-
uocat, vt filium Davidis, vt sibi misereatur, fidei est, quæ
credidit Christum Messiam esse: non solum filium Da-
uidis, sed verum quoque Deum, qui & vellet, & posset
afflictis succurrere, longè rectius de Christo edocta, quàm
nostri sint Anabaptistæ, Svuenfeldiani, Seruetiani, &
Enthousiastæ, qui ipsius vel humanitatem, vel diuinita-
tem negant, non secus quàm olim Apollinistæ, Euthi-
chiani, Manichæi, & Mahometistæ: quorum omnium
impietatem vna hac breui periodo perstringit hæc mu-
lier à Spiritu sancto edocta, qui pignus & arrhabo est hæ-
reditatis nostræ. Interpellat pro nobis gemitibus inenar-
rabilibus, Rom. 8. & docet omnem scientiam, siquidem
vt oremus, sicut oportet nescimus, qui datur nobis Spi-
ritus ille precum, is est qui afflictam, & consideratione
peccatorum consternatam conscientiam erigit in spem
diuinæ misericordiæ, atque (vt hanc mulierem) ad Chri-
stum Dei virtutem impellet, quam dirigunt fides, spes,
& charitas concepta ex auditu verbi, cōsideratione mi-
sericordiæ, & singulari Dei erga nos amore. Illud tamen
hic obseruare pios oportet, Deū subinde sese quasi aliū
exhibere qui sit. Cū enim natura clementissimus sit
& piissimus, ostendat tamen quandoque se paulò se-
ueriorem, & quasi suorum preces negligentē: quod nō alia

*Anabapti-
stas & a-
liorum here-
ticorum im-
pietas.*

ratiōe facit, quā vt magis magisque excitet, & exerceat electorū suorū fidem, & aliis etiā cōspiciendā proponat.

2. Secundō, Proponit mulieris in orando pro filia à dæmonio vexata constantiam: non enim mox animum deiecit, etiamsi non statim exaudiatur, sed fortiter in ipsa perseuerat inuocatione, exemplo viduæ, quia, vt est Luc. 18. orationis perseueratiā quod cupiebat, consequēbatur à iudice: accusat Christi seueritatem, qui ipsius orationem, lachrymas, fidem, humilitatem, qua se se etiam ad genculationem vsque deiecit, neglexit: & detestatur conceptam de Christo opinionem, deceptam se se existimans, quod duriorē illum experiretur, quā existimari: vt meritō magnā illius fidē & patientiā, admirari liceat, quē contra spem, in spē tamē (vt de Abrahā testatur Apost. Ro. 4.) credidit, nec quasi ppriæ orationis diffideret, Apostolorū inuatur suffragiis. Sanctorū enim preces non diffidentibus aut desperantibus, sed credentibus & sperantibus, patrocinantur. Neque propterea irritas esse diuorū preces existimabim⁹, quōd eas hoc loco neglexit: siquidē aliis locis innumeris eas scripturæ commendat. Nam Abrahæ preces pro Abimelech suscepit Deus, Gene. 20. Paulus sanctorum preces sibi prodesse posse credens, eas in omnibus penē Epistolis petit, & orant fideles pro Apostolo Petro captiuo, & exaudiuntur, Acto. 12. Malē ergo hinc negatiuē argumentantur, qui sanctorum inuocationem damnant: neque enim idēd non audiuit Christus Apostolos, quasi indignæ fuissent ipsorum preces, sed vt magis mulieris fidem exerceat, vt constantiam omnibus faceret perspicuam, vt denique doceret, si quando aliorum preces ambimus, nos proprias non debere aut omittere, aut negligere: siquidem tunc demum illæ prosunt, quæ ab aliis funduntur preces, quum ipsi & oramus, & vitam emendamus. Quod igitur ait Christus, non decere, vt panis filiis negetur, & canibus detur, significare voluit gratiā noui testamenti, cognitionem nimirum Euangelij, aliāque eius beneficia, Iudæis primū preparata, Act. 13. Vobis oportebat loqui verbum Dei, &c. non autem gētib⁹, qui canum mores, infidelitate & scelerum licētia, imitabantur. quo dicto vehemētē pupugit mulieris

Perseuerantiā in oratione requiritur.

Sanctorum preces credentibus et sperantibus patrocinantur.

FERIA SECUNDA

animum, & quæ relicta videbatur infidelitas expurgabatur: Est enim sermo Dei viuus & efficax, &c Hebr. 4.

*Fidei & constantiae prae-
mium.*

3. Tertiò, Fidei & constantiae praeonium, quod est reconciliatio cum Deo, quæ ex gentili facit Israelitam, & ex catella filiam Dei, hoc est, ut loquitur Apostolus haredem Dei, & coharedem Christi, Rom. 8. Efficacit enim hoc fides, quæ, Augustino teste, prima datur, per quam cætera impetrantur. Tanta autem fuit huius tum fides, tum humilitas, ut à Christo canis appellata, non solum non excauduerit, sed sese etiam magis deiecerit. Est autem

Primus ad salutem gradus agnoscere propria naturam miseriam.

hic primus ad salutem gradus, agnoscere propriae naturae miseriam, infirmitatem, & malitiam, denique indignam omnibus Christi beneficiis, adeò ut misericordie sit quicquid à Deo contigerit. Est autem hæc Dei misericordia tanta, ut non solum filios pascat, sed etiam catellos, micis à mensa decidentibus, hoc est, peccatores, impios, & infideles alat beneficiis rerum presentium: necnon praeonium, scilicet, sanitatis in filia restitutio, quæ virtute Christi liberabatur à Satana, qui eam alligauerat, & matri pro ea deprecanti redditur. Quo haud dubiè significare voluit Christus, Ecclesiae fidem & orationem, quæ pro peccatoribus & hostibus fidei indies offertur, irritam esse non posse, atque adeò ipsos poenitentes virtute sacramentorum absolutos restituere unitati Ecclesiae, eisque obedire debere. Nam remissio peccatorum, & iustificatio, quæ Christi beneficio contingit, non affert libertatem illam carnalem, sed spiritus, quo fit, ut Ecclesiam agnoscant, eam reuerentur, & eius præceptis obtemperent. Potest & ethica doctrina ex hoc Evangelio peti, qua monentur parentes, ut non solum filiorum corporibus aut fortunis consulant, sed salutis potius & animæ rationem habeant: cum contra potius indies parentes agere videamus. neque enim aliunde tanta morum corruptela crepsit, quam ex nimia parentum indulgentia.

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE SECUNDAE QUADRAGESIMAE,

Epist. Daniel 9.

Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum